

quam esse senem ante, quam essem. Itaque nemo adhuc convenire me voluit, cui fuerim occupatus. At minus habeo virium, quam vestrum utervis. Nec vos quidem T. Pontii centurionis vires habetis: num idcirco est ille praestantior? Moderatio modo virium adsit, et tantum, quantum potest, quisque nitatur: nae ille non magno desiderio tenebitur virium. Olympiae per stadium ingressus esse Milo dicitur, cum humeris sustineret bovem vivum: utrum igitur has corporis, an Pythagorae tibi malis vires ingenii dari? Denique isto bono utare, dum adsit; cum absit, ne requiras: nisi forte adolescentes pueritiam, paullum aetate progressi adolescentiam debeant requirere. Cursus est certus aetatis, et una via naturae, eaque simplex: suaeque cuique parti aetatis tempestivitas est data; ut et infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis aetatis, et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat. Arbitror te audire, Scipio, hospes tuus avitus, Masinissa, quae faciat hodie, nonaginta annos natus: cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non adscendere; cum equo, ex equo non descendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit: summam in eo esse corporis siccitatem: itaque exsequi omnia regis officia, et munera. Potest igitur exercitatio, et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.

XI. Non sunt in senectute vires? ne postulantur quidem vires a senectute. Ergo et legibus et institutis vacat aetas nostra, muneribus iis, quae non possunt sine viribus sustineri: itaque non modo, quod non possumus, sed ne quantum possumus quidem, cogimur. At ita multi sunt imbecilli senes, ut nullum officii, aut omnino vitae munus exsequi possint. At id quidem non proprium senectutis est vitium, sed commune valetudinis. Quam fuit imbecillus P. Africani filius is, qui te adoptavit? quam tenui, aut nulla potius valetudine? Quod ni ita fuisset, alterum ille extitisset